

thorem. Huic Decreto, ejusque Confirmationi & Declarationi observantia ac revetentia, qua par est, insistendo, profiteor, me haud alio sensu quidquid in tota hac Bibliotheca Mexicana refero aut attingo, quod materiam concernit in predictis Decreto & Declaratione ac

tentam, accipere, ille, quam quo ea na duntaxat authentica Divina Catholica aut Sanctae Sedis Apostolicis tantummodo et Sancta Sedes Sancti Martyrum Ca



BIBLIOTHECA MEXICANA.

ACADEMIA MEXICANENSIS principio operis apposite factis occurrit, ut narratio isthac exordium inde sumat, unde per duo haecenus secula Scriptores bene multi prodierunt, quorum & Nomina & Scripta suis deinceps locis sunt inferenda. Agmen ergo ducit Alma Patris ipsa, quam turmatim inde Filij haud imbelles sequuntur, sua quisque indutus arma, Scripta videlicet, quibus cathafracti singuli, Minervam omnes nobilissimo stipant satellitio. Porro ubi Hispani fortissimi milites, duce inclyto viro laudeque omnino maiore, FERDINANDO CORTIZO, Mexicum Primariam vastissimi Imperij Urbem toto celeberrimum Mundo, opibus, civibus, de-

licijs, temperie, aedificijs, tunc quidem temporis, maximam partem, super aquas solide affabreque constructis, nobilissimam, atque ut JOANNES HENRICUS ALSTEDIUS scribit, totius Orbis maximam, incredibili penè robore, decumanis laboribus, inflicis acceptisque vultneribus, ac multo hinc inde fusso sanguine subegerunt, Prima illis Religionis cura cum esset, divinaeque amplificandae gloriae cogitatio pleorque, atque in primis CORTIZUM teneret, nullum non moverunt lapidem, ut innumeris prope modum. Indis tenebris haecenus idololatriae circumseptis verae fidei lucem affunderent, sacroque initiatos lavacro ad mores Christianos dignos hominibus, atque ad omnem simul humanitatem efformarent.

DIMINUCION DE DIAS DE FIESTA.

QUESTO SMO. Padre el Sr. Gregorio XVI. por Breve de su Pontificatus en Roma a 17 de Mayo de 1826, y publicado por nuestro Gobierno, previo consentimiento del Senado, en 14 de Septiembre del mismo año, ha determinado en su Real Cédula, que el número de días de fiesta, los cuales quedan reducidos a los siguientes.

1.º Todos los domingos del año. 53

2.º Festividades de Nro. Sr. Jesucristo.— Circuncion, Enero 1.º.— Epifania, o sea Adoracion de los Reyes, Enero 6.º.— Ascension, Mayo 24.º.— Natividad de Nro. Sr. Jesus Cristo, Diciembre 24.º. 5

3.º Festividades de Nra. Sra.— Inmaculacion, o Encarnacion del Divino Verbo, Marzo 20.º.— Aniversario de la Purificacion, Agosto 15.º.— Natividad, Septiembre 8.º.— Concepcion, Diciembre 8.º.— Aparicion de Nra. Sra. de Guadalupe, Diciembre 12.º. 6

4.º Festividades de los santos.— Natividad de S. Juan Bautista, Junio 24.º.— S. Pedro y S. Pablo, Junio 29.º.— Todos santos, Noviembre 1.º.— S. Juan de los Rios, Agosto 2.º. 4

5.º Las festividades suprimidas son las siguientes: 67

Enfermo.—Dia 24.º. Santa Apolonia.—Mayo.—Dia 25.º. San Felipe y Santiago Apóstoles.—Dia 3.º. San Blas.—Dia 14.º. San Isidro Labrador.—Dia 15.º. San Antonio de Padua.—Dia 20.º. San Juan Apóstol.—Dia 26.º. San Juan Evangelista.—Dia 29.º. San Agustín.—Dia 10.º. San Lorenzo.—Dia 10.º. San Bartolomé.—Dia 23.º. San Agustín.—Dia 30.º. Santa Rosa de Lima.—Septiembre.—Dia 21.º. San Mateo Apóstol.—Dia 21.º. San Miguel Arcángel.—Octubre.—Dia 29.º. San Simón y S. Judas Tadeo.—Noviembre.—Dia 30.º. San Andrés Apóstol.—Diciembre.—Dia 3.º. San Juan Apóstol.—Dia 24.º. S. Esteban protomártir.—Dia 27.º. S. Juan Evangelista.—Dia 29.º. Los Santos Inocentes. FIESTAS MOVIBLES.—En la Pascua de Resurreccion. Lunes 2.º.— Miércoles 4.º.— En la Pascua de Espiritu Santo. Lunes 2.º.— Miércoles 4.º.

Declaro su Santidad que en los días de fiesta suprimidos, quedan los tales libros del reposito de obreros y jornaleros para trabajar en obras serviles.—Doy orden que los tales obreros y jornaleros de las provincias, ciudades y pueblos, se trasieran al domingo inmediato siguiente, con tal que no caiga en el día de alguna solemnidad que se celebre en el lugar, considerándose como día de trabajo en esta capital el 13 de Agosto, en que se celebra S. Hipólito.—Por último, ordeno que las festividades suprimidas, se trasieran a los viernes y sábados de las semanas de Adviento, con facultad de contraer licencias y licencias. Notro como dos puntos, esto es, sobre la traslacion de las festividades de los santos de Agosto y sobre las suprimidas el Adviento, debiendo tener los Vnos. Obispos de las Indias las disposiciones convenientes.

BI-

2. Hac ut è voto succederent, & Paræcias & Tempa quanto cyus erexere, & Religiosorum Conventus hominum fundavere, & pro institucendis rite pueris Domicilia & Collegia cogitare ceperunt, potissimum vero amplissimam UNIVERSITATEM expeteret, in quam & exteri confluentes & incolæ, Indi pariter & Hispani, Facultates omnes & Scientias, prout in Europæ Scholis Academicisque insignibus, explicatè traditas invenirent, quibus, ut quisque valeret, instructi, alios deinde, aliosque docerent, atque ita fieret brevi, ut plurimi Magistri suppetere, cum pro erudiendis in re Christiana Populis, tum etiam ad eosdem omnium disciplinarum genere imbuendos. Quod autem Invictus Imperator simulque Hispaniarum Rex Catholicus CAROLUS V. nulli in hisce votis concederet, imò maxime optaret ut qui, Ipso Imperante, Novus Orbis Hispaniæ juxta accesserat & Ecclesiæ, ita demum ornatus excultusque evaderet, ut non divitijs modo rebusque pulcherrimis abundaret, sed verò etiam hominibus, qui Catholicam disseminare Fidem & defendere in vastissimis Regionibus possent, ac Religionis & Nationi delicijs essent atque decori; secum animo reputans compendio se usurum, si Universitatem Mexici erigendam preciperet, Regia id justitè Scheda XXI. Septembris MDLI. data, qua infimul annuos quosdam redditus consignavit, quibus cum alij Re-

gia itidem accesserint liberalitate, Amplissima Academia erigi à fundamentis potuit, florereque cepit statim.

3. Cum enim is qui Caroli nomine Imperij clavum Mexicani tenebat D. LUDOVICUS DE VELASCO, Regijque Auditores mox relatum audissent Decretu, obtemperandū illico existimarunt, nec ullam neccentes moram, cunctis quæ pro egregio opere necessaria fuerant, indultrie expeditis & promptè, tandem xxv. Januarij, MDLIII. solennissima pompa ac supplicatione, Regia Universitas Mexicana erecta est, potiri que incæpit Privilegijs, quæ CAROLUS ipsam dignata fuerat amplissimis, quæ videlicet cunctæ Hispaniarum Academia, in primis Salmanticensis toto Orbe princeps, retroactis sæculis coacervaverant. Nec verò ab Hispaniarum duntaxat Regibus munificentissimisque Patronis Academia Mexicana gratias accepit plurimas, sed à Sede etiã Apostolica decorata haud minoribus beneficijs & donis fuit, procurantibus ipsis Regibus, uti Pontificia muniretur confirmatione, liberalitateque Ecclesiæ grandesceret, quam proprijs nuper sumptibus Universitatem crexerant. Nobilis quidem Scriptor M. MARCELLINUS DE SOLIS, Augustinianus, ejusdem Rector Academiae tunc temporis, cum Statuta typis excussa sunt, quibus nunc etiam regitur, in Proemio eis præfixo, non jejuno quidem, sed antiquorum relatione monumentorum divi-

divite, PAULUM IV. expeditis litteris anno MDLV. eam confirmasse scripsit: atque hunc sequutus Authorem idem tradit FR. BALTHASAR DE MEDINA, eruditissimus nudipedum Sancti Francisci Historiographus in Chronicis Provinciae SANCTI DIDACI Mexicanae, Cap. 24. num. 827. quos refert in Commentarijs ad secundam Academiae Constitutionem egregius earumdem Interpres D. JOSEPHUS DE ADAME ET ARRIAGA num. 43. At quoniam isthæc PAULI IV. Diplomata in Academicis Tabularijs multoties diligenter quæsitæ, inveniri potuerint nunquam, nil in ipsis moramur, alijque interim Privilegijs Apostolicis superfedentes, Bullam à CLEMENTE VIII. subscriptam nonis Octobris anno Domini MDXCV. præmanibus habemus, cujus Authographum ingredientibus quotidie Sacellū Universitatis ejusdem suspiciunt, quod palam coramque cernere est chrystallo occlusum, atque circumseptum. Scilicet, cum Universitas Mexicana honori semper eximio ducat Pontificiam audire, se se Apostolicæ fedi devotam ex animo, demississimeque subjectam, stemmatis loco Bullam appendit, quam à Catholico Hispaniæ Monarcha PHILIPPO II. exoratus Sanctissimus Pater CLEMENS VIII. libenter indulsit, ratam non modo firmamque eandem Academiam statuens, sed SALMANTINÆ, COMPLUTENSIS, & reliquarum, quæ apud Hispanos vigent & celebrantur,

omnibus & singulis Privilegijs frui & gaudere decernens.

4. Jam verò, ut perpauca infinemus è plurimis, quæ Academicam nostram illustrant, nec concludi paginis hisce nostris aliter possent, quam brevi Oceanus conchâ; placet ejusdem initia utcumque libare, ut dein quæ procedente tempore sumpsit incrementa, & quo tandem modo supremum gloriæ verticem ascenderit, summis lineamentis adumbrare tætemus. Juvat porò D. FRANCISCUM CERVANTES SALAZAREM; primum apud Nostrates Rethoricæ Professore exipere in eo, quæ altero ab incepta Academia anno, hoc est 1554. edidit DIALOGORUM pulcherrimo Libro, Nam, ut legere est à folio 247. mox conditam Universitatem describit, colloquæribus MESA, ET GUTERRIO, quos illo in Dialogo opportunè fati pro suo inducit institutoque nostro. Et GUTERRIUS quidem sic, post alia, Socium alloquitur: *Sic res habet, sed doce rogo quod ex alio scire noli, quæ sit hæc domus, quæ altero membro, tot ac tantis supra subterque factis fenestris forum, & facie publicam viam respicit: in quam bini modo, modo terti, nunc turmarim veluti Magistrum officij gratia asectantes in pallijs oblongis & quadratis pileis ad aures usque demissis, juvenes ingrediuntur. Tunc Socius MESA: Academia est & formativum adolescentium: Qui ingrediuntur sunt Scholastici Minerva & Musarum amatores. Post alia verò subdit GU. Atrium pro frequentia & dis-*

centium numero satis capax. Verum quod est potius, quodque Academiam vere nobilitat, quales habet Institutores? ME. Optimos. GU. Non de probitate rogo, sed de doctrina, & docendi dexteritate. ME. Industrios & in omni scientia versatissimos: vis dicam? Minime vulgares, & quales paucos habet Hispania. GU. Ecquis fuit reitanta auctor? ME. Caesar cujus auspicijs & ductu multa sunt ubique terrarum praeclare gesta. GU. Quibus immunitatibus & privilegijs? ME. Maximis & multis, & in omnibus à Salmaticensibus nihilo dissimilibus. GU. Multo pluribus, ac si fieri posset, maioribus digni sunt, qui & tam procul à Patria docent, & qui in tanta opulentia, & Parentum delicijs discunt. ME. Quin potius, quod dicere debuisset, eo utriusque honore afficiendi sunt, quod novum Orbem sapientiae fulgore, ignorantia nebula, qua obscurabatur, primi omnium liberent, & Indos in fide cultuque Dei sic confirmet, ut ad posteros semper firmior derivetur integritas.

5 Sed ne longum æque ac politissimum Dialogum hic transcribamus, sat erit honoris ergo Antecessores illos indigitare, quos non sine magna laude, cuius erant dignissimi, CERVANTES recenset; Magistrum scilicet BUSTAMANTIUM, qui cum in Philosophiâ doctus esset & laureâ donatus, Grammaticâ diligenter profitebatur in Academia, cui tradeda in privatis ædibus strenuâ per annos viginti sex operam dederat, atque ita feliciter juventutem Mexicanam instituerat,

ut vix ullus esset qui aut concionaretur, aut doceret, qui non ejus esset discipulus: JOANNEM GARCIAM, Presbyterum, Artium etiam Magistrum, qui Dialecticam edocebat: Doctorem MORONES, cujus partes in Canonico Jure interpretando primæ erant: Doctorem itidem AREVALUM SEDENUM, qui Pontificum quoque decreta explicabat absolutissime, & quam Salmantica maximam dese spectationem facerat, Mexici augebat. His annectit Doctorem FRIAS, & in Artibus Magistrum, & Græcæ & Latine doctissimum, Justinianæ Institutionibus aperiendis incumbentem ex munere: JOANNEM NEGRETE Philosophiæ & Theologiæ Doctorem, in Mathematicis ad admirationem usque versatum, nec Medicinæ ignarum, qui Theologiam Auditoribus exponere: ALPHONSUM A VERA-CRUCE, Augustinianum, virum jure commendatissimū, Artium infulis & Theologiæ redimitum, quem primum factorum Bibliorum Interpretem Academici audiebant. Et ut alijs interim supersedeamus, placet colophonis vice paucula ejusdem verba Dialogi afferre. GU. In nascente Academia magnos mihi & eximios viros narras, & qui in confirmatissima & aucta multis & opimis relictibus jure suo singuli munera sua obire potuissent. Et alijs interjectis, hanc Dialogo suo auream CERVANTES imponit coronidem, GUTERRIUM in hunc dicentem modum adducens: *Vestra tamen Academia in bar-*

barâ,

barâ & ante hac incultâ regione posita, modo etiam nasens ejusmodi est inchoata principijs, ut brevi credam futurum, novam Hispaniam ut hactenus argenti copia, ita in posterum sapientium multitudine apud ceteras Nationes optime audituram. Hercle variocinanti simillimum nullus non credit CERVANTIUM nostrum, qui & alios, suis à nobis adducendis locis, diversarum Nationum Doctissimos viros audierit, & Eruditissimum plane Germanum P. HENRICUM SCHERER, Societatis Jesu ibi legerit, ubi postquam sapientissimos ejusdem Societatis Professores in America natos instructosque numerat, totidem quæ sequuntur verbis concludit, in *Atlante novo* p. 4. seu *Geographia Politicæ* p. 4. cap. 3. proposit. 9. pag. nobis 823. *Atque hæc fere Bibliothecâ Scriptorum Societatis mihi suggestit, quibus si aliquando accederent ea, quæ ab alijs, præsertim Sacrorum Ordinum Religiosis Americanis praeclare gesta sunt (& quorum notitia nunc ego destitutor) satis superque patebit, agrum Americanum non tantum auri & argenti, sed etiam virtutis eximia & scientiarum omnium feracem esse.*

6 Ast quoniam, & quæ CERVANTES haud vanus sibi vates pollicitus fuerat, & quæ SCHERER partim attestatur, & partim optat, bono à nobis in lumine collocanda veniunt in Bibliothecâ nostrâ, nunc in Academia, quæ ejusdem caput & principium agit, morati, præcipua huius ornamenta persequamur

dicendo, è quibus Litterraria America nostra Respublica mirabiles certe fructus accipit. Et quod ad scientias attinet, quæ traduntur in ea, Celeberrimas ut imitaretur Scholas Europæ, Fundatores enixè curarunt, egeruntque, ut præter Grammaticam & Rethoricam Philosophia doceretur in Aulis suis, & qua latissime patet à varijs ordinate ac distincte Professoribus dictaretur. Adjectus deinfuit, qui disciplinis Mathematicis præset, earumdemque candidatos instrueret. Pontificijs juribus enucleandis Antecessores adlecti sunt, qui id officij susciperent, ut adolecentes Ecclesiasticis imbuerent sanctionibus; alij verò eò destinati ut Civilium apices explicarent, nodos exfolverent, praxim traderent. Ad hæc sex pro sacra Theologiâ expendendâ designati, quorum unus Bibliorum factorum interpretationi, reliqui cæteris amplissimæ Facultatis partibus, pro suo quisque munere, infisterent. Quod verò ad Idiomata spectat, sapientissime constitutum à Maioribus nostris est, ut quandoquidem tam sunt multa in hîcce Regionibus, Hispanis etiam in eis natis ignota, ut pro illis discendis non modo egregiâ opus sit diligentia, sed inausitris etiam Magistris: tamque earumdem usus linguarum necessarius, quam qui maxime ad Indos instruendos in Fide, & in omnibus Christianis juxta ac politicis disciplinis educandis: prudentissime inquam à nostris conditoribus fuit provisum,

B

ut

ut eorum vice Antecessorum qui in Europæ Academijs Sacras Linguas profrentur, in nostra gemini instituerentur pro duabus tradendis, quæ communius in America nostra tenent, & quodam gaudent veluti principatu, *Mexicana*, ut vocantur, & *Orthomia*. Quis factum est omnibus, ut viginti tres Antecessores suam quotidie spartam Academicis in Gymnasijs adornent, totidem præfecti Suggestivibus, è quibus frequentissimis auditoribus dictando explicandoque doctrinas instillant, quæ & ipsis, & publico bono sunt profutura. Quæ tunc porro Scholasticorum concursus ad Minervæ atria sit, conjici inde potest, quod, ut alia nunc taceamus Collegia pro juvenibus instituta Mexici, florent amplissima duo, in quæ supra quadringenti se recipiunt adolescentes, Regium videlicet S. ILDEPHONSI, quod Societatis JESU Patres moderantur & regunt, plusque ducentos fovet Alumnos; & Tridentinum S. PAULI, AC PURISSIMÆ CONCEPTIONIS, quod Ecclesiæ Metropolitanæ Seminarium est, ducentisque fere Socijs ornatur. Quis cum & ex alijs Collegijs adventantes in Academiam jungantur plures, & qui in privatis ædibus habitant oppido multi, sit ut auditorum multitudine ipsa insignis evadat, & discipulorum frequentiam Magistri suas abunde partes explent officiaque.

7 Ut tamen Mater est alma Universitas Mexicana, quæ cum prope adstantes, in Urbeque de-

gentes primaria filios, uberibus ad mover, tum etiam longe postis, & alibi Civitatum, imo Regnorum domicilio gaudentibus lac Scientiarum propinat, medijs scilicet Alumnis strenuis, mirum plane est quanta grandescat sobole, hominumque doctissimorum numero. Nam si Collegijs & Cœnobijs quæ intra Mexicana pomaria sunt, illa omnia adjiciamus, quæ extant in tota Diocesi MEXICANA, insuper & in ANGELOPOLTANA, item in MICHOCANENSIS, & in GUADALAXARENSIS, ac demum GOAXASENSIS, & DURANGENSIS, quæ singulæ patent latissime, subductis bene calculis invenimus sexaginta haud minus literarum Domicilia esse, è quibus in Academiam involant studiosi, quæ Regulares, quæ Sæculares, laureas & infulas petituri, quos premisso non perfunctorio examine, redimiri discipiunt, & pro cuiusque merito candidati donantur. Hinc fit, ut ingens admodum Doctorum ac Magistrorum numerus in Academico albo tabularioque supputetur. Sunt continuo qui Mexici degunt centum plus minusve, nec pauci qui absunt, longæque sunt positi ac longius, Paracias regentes, Ecclesijs inservientes, Regum publicarum causas agentes, salurem, fortunas, animas curantes, varijsque distenti officijs, ac muneribus occupati, in eis omnibus, quas nuper insinuavi ditionibus. Nec sane id mirum cuique videri debet hac nostra tempestate, multique

tisque retro annis usu venisse, cum jam inde ab incunabilis grandis nata fuerit Minerva nostra, tamque multis armata militibus, id est Doctoribus circumcincta prodierit, quam quæ maxime. Huc certe collimavit laudatus supra CERVANTES noster, qui de nuperrime condita Academia GUTERRIUM suum & MESSAM sic verba facientes scribit: *GU. Quantum est Doctorum, & Magistrorum numerus? ME. Ex his qui Mexici supremam coronam sibi consecuti, & his qui alibi eadem donati sunt, jam Academiæ alumni, & illorum ordini adscripti, tantus ut vix maior sit Salmantica. Ad quam tanti Gymnasij felicitatem hoc accessit, ut ALPHONSUS A MONTUFARE Mexicanus Archiepiscopus, in Sacra Theologia eximus Magister, in serie, & classe Doctorum primus reponeretur, sic in literas, & literatos affectus, ut nihil tam enixe curet, quam quo pacto maiores semper in re litteraria profusus fiant.*

8 Atque id honoris ubi memoratum audimus, quanti per duo secula Academiæ accreverint, non abs re erit paucis innuere. Agmen duxit mox relatus Antistes Illustrissimus, qui & adscribi Doctoribus Mexicanis voluit, & Cancellarium Academicum agere, ipsumque imitantibus præclaris vitis, & nascenti Universitati lucem afferre, & vicissim accipere placuit, ut statim adulta haud minores ipsa ederet filios, quorum lumine ad miraculum usque niteret. Effulsere in primis Archiepiscopi iridem Mexicani D.

JOANNES DE MAÑOSCA ET ZAMORA, qui Bachalareatus gradum, quem Mexici acceperat, magni etiam faciebat, postquam Salmantica Doctoratu, alibique conspicuus muneribus, ac tandem Archiepiscopatu donatus fuerat. Et D. ALPHONSUS DE CUEVAS DAVALOS, qui & ipse Mexicanus Antistes in Academia nostra didicerat, atque ad Doctoris apicem evehctus, multis inde auctus Ecclesiasticis Dignitatibus fuit, Diocesis si primum Antequerensis præfectus, post Mexicana, ut Patria suæ egegijs litteris & virtutibus honoris esset eximio. Nec defuere Doctores alij Archipræsules, Præsulesque muliarum Ecclesiarum creati, alij etiam & alij qui ad id muneris designati secularium officium insignis, quorum hic syllabum retexere nimis esset operosum: satis proinde sit dicere, plusquam octoginta nos memoriâ tenere Mexicanæ Universitatis alumnos, cum è Seculari Clero, tum etiam è Regulari, qui aut Episcopalibus insignibus donati illustriores ob egregie navatam operam reddidere sese, aut quod se subduxerunt amplissimis Dignitatibus minorem nihilo gloriam sunt assecuti. Quæ verò plurimi alij Academici viri nituerint, propterea quod optime functi muneribus alijs fuerint, sive Ecclesiam concernentibus, sive Regis negotia, sive Republicæ commoda, idcirco missum facimus, quod copiosior seges sit illa, quam quæ possit congregari in his paginis,

ginis, quas non multas patitur institutum nostrum; contenti dicere, Mexicam Academiam ita sapientum graviumque hominum feracem fuisse, ut & innumeris prope modum Americae Parochijs Ministris obtulerit, & ad instruendos Populos Praeceptores formaverit, & pro Cathedralibus Ecclesijs Sacerdotes, Praebendatos, ut dicitur, Canonicos, & maioribus ornatos Dignitatibus exhibuerit: Tum etiã & Auditores Regios & Doctoribus suis evaluisse conspexerit in Senatum *Mexicanensem*, *Guadalaxarenses*, *Goatemalemses* assumptos, ad eos quoque qui *Domicopolis*, & apud *Insulas Philippinas* existunt, vocatos, & demum ad Suprema, quae in ipsa Catholici Regis Curia sunt, Consilia evectos non nullos. His accedendi veniunt, qui apud aequifima Fidei Tribunalia Quæstorum munera obierunt exacte non pauci; plurimi autem vel in Consultorum vocati numerum, vel Censores adlecti, tam sunt industriæ & sapienter officijs defuncti, ut egregias inde laudes meruerint, quas refert tribuitque ipsis PARAMUS de rebus ad S. Officium spectantibus eruditus Scriptor & diligens, in *de Origine & progressu Officij S. Inquisit. lib. 2. c. 21. num. 20. & 22.*

9 Quid verò quod Concilia Mexicana Americae huius Episcoporum concursu aliorumque gravissimorum frequentia hominum nobilissima, Theologos ac Jurisperitos ab Academia insignes acceperint, audierint, probaverint?

Quid tandem, quod in Hispaniam quoque Academicis Mexicani traiecerint, quorum non pauci in eiusdem Hesperiae Universitatibus creati Doctores, haud vulgares à Sapientissimis illis hominibus laudes tulerunt: aij sublimius evecti Antecessores etiam egerunt diversarum, quas professi sunt singuli, Facultatum? SALMANTICÆ quidem Theologiae Cathedram D. JOANNES DE CERVANTES moderatus est; MALDONATUS verò Canonici Juris, VEGA, & SUAZUS ad Civilia attinentia rexere. D. JOANNES DE PARADA Philosophiæ præfuit non sine Academiae Principis laude. Ad COMPLUTENSES abiens CORTEZIUS Philosophiæ tradendæ præpositus memoriam in florentissimis eorundem Aulis excitavit Mexicani alterius Doctoris P. ANTONII RUBII, cuius LOGICA MEXICANA contractior ab Authore suo facta, id assequuta est honoris eximij, ut Universitatis Regijque jussione Consilij auditoribus Philosophiæ candidatis multos continenter annos explicaretur. Apud PINCIANOS Sapientes GUEVARA Jus Canonicum docuit: CERVANTES alter HISPALI Theosophiam explicuit: In GRANATENSIBUS Scholis PADILLA è Suggestu juribus enucleandis incubuit, pro ut adductis historicis monumentis latius aperimus in Nuncupatoria DISSERTATIONIBUS MEXICANIS nostris præfixa.

10 Profecto ambigere prudens nemo, illustrissimam undique Academiam

demiã Mexicanam fateri, qui unam in ipsam, ceu in profundissimum Oceanum, illustria plurimaeque corrivari flumina animadvertat. Scilicet ornari frequentissime cernet hanc Academiam & Episcopis & multis è Clericali statu ad munera evectis eximia, cum in Ecclesijs Americae nostrae omnibus, tum etiam in aliquibus Europae, nec sine plausu exterorum Sapientum, qui è paucis quos audiunt, Mexicanos alumnos, de cæteris facili judicare negotio valent, & verò laudibus illos efferunt. Cernet Religiosorum coronã virorum ambiri, qui aut Doctoratu, aut alijs decorati gradibus Academiam ipsi decorant ex Sacris Ordinibus DOMINICANORUM, FRANCISCANORUM, AUGUSTINIANORUM, CARMELOMITANORUM, MERCEDENSIIUM, JESUITARUM, in quos cætus gravissimos ornatissimosque pertæpe involant Academici, & è quibus in Academiam vicissim adventant homines Religiosi. Cernet itidem delibatissimum Secularium florem, quos inter Auditores Regios, Provinciarum Rectores, Gubernatores Urbium, Patronos causatum, multosque alios officijs conspicuos inveniet.

11 Merito subinde Academia Mexicanae elogia retulit haud vulgaria ab exteris Scriptoribus haud obscuris, ÆCYDIO GONZALEZ DAVILA, JOANNE DIEZ DE LA CALLE, ANTONIO DE HERRERA, Indiarum rerum enarratoribus, quorum hic, brevitatis gratia, præteriens verba alibi à nobis

relata (nempe in Nuncupatoria Tomo primo *Dissertationum Mexicanensium* nostrarum apposita) unum præterire non libet ANDREAM MENDO, Societatis Jesu Theologum celeberrimum, de quæ Jure & rebus Academicis Authorem notissimum. Is ubi Hispaniæ & Americae Universitates perceret, totidem quæ sequuntur periodis Mexicanam describit: *Mexicana in America, in Orbe novo, seu in Nova Hispania erecta fuit anno MDLIII. regnante in Hispanijs Carolo Quinto Imperatore; & ab eius Successoribus Hispaniarum Regibus promota, & aucta, ac Summis Pontificibus confirmata, & pluribus privilegijs munita, præcipue à Clemente VIII. anno MDXCV. Opulenti annis redditibus gaudet, & viris Sapientissimis in omnibus scientijs floret, qui & Academiam & munerum culmina illustrant. Ornatur etiam Insignibus Collegijs, quorum unum Societatis Jesu regimini subest. Huius Academiae meminerunt cruditissimus ac clarissimus DD. LAURENTIUS RAMIREZ DE PRADO in notis ad Luitprand. p. 424. D. DIDACUS DE LEON PINELO in Hipomnemate Apologetico pro Academia Limeni cap. 26. num. 81. & Doctissimus D. JOANNES DE SOLORZANO de Jure Indiarum lib. 3. cap. 14. Hæc clarissimus MENDO. Et quandoquidem Scriptoribus, quos ipse nominat de Academia nostra memoriam agentibus, adjungi alij possunt, nec obcuri, nec pauci, non abs re erit quoddam hic dare.*

12. Et sunt illi quidem P. THOMAS BOZHIUS Præbiter Congregationis Oratorii, Sancti Philippi Neri discipulus, & de Ecclesia optime meritus cum alijs scriptis, tum egregio Opere de Signis Ecclesiæ Tom. 1. lib. 4. cap. 3. signo 6. ubi *Gymnasium omnium Scientiarum atque Artium Mexici florens*, non ita diu post eiusdem conditionem, alia inter Indiarum Occidentis decora refert. P. VELAZQUEZ, Soc. Jesu de Conception. diss. 8. adnot. 1. P. ALVA Franciscanus, in Militia pro Immac. Concept. verbo *Academia*. M. FERNANDEZ Dominicanus, in Historia Ecclesiæ lib. 1. cap. 36. Illust. D. M. F. JOANNES LOPEZ, Episcopus Molopolit. in Historia generali S. Dominici 4. p. lib. 4. cap. 58. P. F. JOANNES DE SANCTIS, in Chronologia Hospital. lib. 3. cap. 61. D. JOANNES FRANCISCUS GEMELI CARERI, in Gyro Orbis italicè conscripto pag. 6. pag. 122. & 127. Nooblot. tom. 5. Geographiæ univ. gallice scriptæ p. 526. D. LUDOVICUS MORERI, in Magno Dictionario Historico gallice dato, tom. 5. p. mihi 318. verbo *Mexique*. MICHAEL ANTONIUS BAPDRAND, in Novo Logico Geographico in Not. & addit. Tom. 2. p. mihi 55. D. BEIERLING in Theatro Lit. E. p. mihi 122. M. GRAVESON Dominicanus, in Indice Geographico Academicarum Europæ. P. PARTENIUS Societatis Jesu, in Geographia Regni Mexicani. Illust. M. D. F. MARCUS SALMERON, Regij Mercedensis Ordinis,

in Monum. Hist. & polit. Monumento 39. p. mihi 224. P. F. JOSEPH A. SANCTA THERESIA, Carmelitanus t. 3. Hist. Excalcat. Carmelit. lib. 11. c. 21. & alibi. M. F. BALTHASAR A. S. CRUCE, Dominicanus tom. 2. Historiæ Provinciæ Philippinarum ejusdem Ordinis Lib. 1. cap. 51. pag. 247. MM. QUERTIF, & ECHARD, in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum. P. F. JOANNES A. S. ANTONIO in Bibliothecâ Franciscanâ. P. SOTUELLUS in Bibliothecâ Societatis Jesu. D. NICOLAUS ANTONIUS in Bibliothecâ Hispaniæ Novâ, qui Bibliothecarum Scriptorum, Mexicanos bene multos in Catalogos suos redigunt, Academicam æque Mexicam, ac Familias religiosas Fax, Nationemque Hispanam concernentes ornantesque. NICOLAUS SAMPSON in suo Atlante minore. P. HENRICUS SCHERER in suo Atlante novo parte 2. pag. mihi 93. Purpuratus P. ALVARUS CIENFUEGOS Soc. Jesu, doctrinâ Eminentissimus juxta ac Dignitate, in Vita S. Francisci de Borgia lib. 5. cap. 6. §. 4. P. FUENTES Franciscanus, in Diario 25. Januarij. P. MORILLO, in Historia Provinciæ Soc. Jesu Manilensis n. marg. 734. Et ne multi sumus, alijs supercedamus elogijs omnibus, ubi maximum transcripserimus à Prudentissimo Rege nostro Philippo H. datum, tunc quidem cum Academia Mexicana annos quadraginta duos, non amplius, à sui conditione numeris putabat, agebatque Patronus Serenissimus

demis pro

pro eiusdem confirmatione ac privilegij apud Clementem VIII. pro ut Is in sua Constitutione refert: *Idem Philippus Rex pia meditatione ductus, & jam experientia comprobatum habens, quantum univ. Reipublica Christiana, præsertim apud illos novos Fidei Catholice cultores, talis Universitas in dicta Civitate, quæ admodum insignis & frequens existit, utilitatis afferat, plurimum cupit dictæ Universitati per Nos, ut infra indulgeri.*

13. Quod si tantos fructus attulerat non dum semisæculo elapsu à sui initio, condonandum erit profecto Scriptori, extranco quidem, sed veritatis amatori, qui quos deinceps retulit ager Mexicanæ Minervæ, non modo mirabiles, sed infinitos pia quadam audaciâ compellat. Plurimos certe eos esse, productis in medium pomis aliquot exquisitis, in ea quam superius indicavimus Epistola nostra Nuncupatoria, monstrare satagemus: quibus id circo in præsentiarum superfedemus, quod legi mihi poterunt, & qui ad scripta spectant Opera in huius decursu Bibliothecæ sunt collocandi. Misit igitur in sua loca, quæ singuli Academici viri laboravere, ea hic subijcimus, quæ Confessus Doctorum nomine Typis commissa fuerunt.

14. *Testimonium à Regiâ Universitate & pleno eius Confessu Mexico Excmo. nove Hispaniæ Pro-Regi jubenti propositum, de incommodis in Reipublicâ ab immoderata indici vini Pulque vulgo dicti, potione manantibus.*

Mexici tacito Typographi nomine anno 1692. in fol. cum subscriptionibus amplissimi Domini Rectoris, Doctorum & Antecessorum, coram Academico tabellario D. CHRISTOPHO BERNARDO DE LA PLAZA, ET JAEN. Extat tom. 15. Collect. D. LUDOVICI DE MENDOZA.

15. *Regia ac Pontificia Universitatis solutio 14. questionibus exhibita, quas RR. PP. Bethlemite Societatis ipsi retulere pro enodatione.* Mexici Typis V. Michaelis de Ribera 1708. in fol. Extat. tom. 12. dictæ Collect.

16. *Epistola gratulatoria Excmo. Viro ac Doctore clarissimo D. D. DIDACO LADRON DE GUEVARA Episcopo Quitensi, Regio Consiliario, &c. Mexici tacitâ Typographiâ, anno 1712. in fol. habeturque inter Opuscula non dum compagina à mox dicto MENDOZA.*

17. ACADEMIA S. PHILIPPI NERI MEXICEA, in eunte, quod defluit in præsentiarum, sæculo initium caput, & nomen sortita est ab Aedibus Congregationis Oratorii, in quibus condita annos supra 15. egit, donec in Atria Universitatis translata fuit, apud quæ etiamnum viget eodem agnita nomine, & de faventissimo ac Sanctissimo Parente gloriata. Authorem habuit P. ANTONIUM PINATELI, Mexici natum, Congregationis eiusdem Præbiterum, doctrinâ & virtute præclarum, qui auxilio fuit clarissimo eisdem doctibus viro P. JOANNI ANTONIO

C2

DE

DE ESPINOSA, Queretarensi, pro instituendâ Oratorij Congregatione apud Villam Sancti Michaelis magni, Diœcesis Michoacanensem, eximio animarum & studiosorum fructu ad nostram usque ætatem quotidie crescente. ANTONIUS humaniores litteras Philosophiamque alte imbiberat in Collegio Maximo Soc. Jesu Mexiceo, atque ornatus laurea, Theologiæ operam dederat in Gymnasio Universitatis strenuâ adeo, ut triplicis Scholæ doctrinam Thomistarum, Scotistarum, & Jesuitarum penitissime excoluerit, gradumque retulerit. In Positiva, Morali, Mystica, & Dogmatica Theologia admodum etiam doctus fuit, & omnigenâ pollens eruditione, quam libris intentissime deditus comparavit, patrimonio suo haud exiguo pro copiosissimâ & selectissimâ emendâ Bibliotecâ destinato, quæ vel in Europa multo in pretio & æstimatione haberetur, qua que, ut erat pissimus, minori contentus voluminum numero, abdicavit se tandem, Ecclesiastici, quod meditabatur, extruendi ædificij ergo nummis à divenditâ colligendis, irrito quamvis ad extremum conatu, quod egregium opus adversis obviantibus casibus inter optata manserit. Latinitatem in Collegio Seminario à Divo Paulo, & Purissima Conceptione nuncupato tradiderat, quod etiam vices tenens Rectoris moderatus fuit, concionibus habendis, excipiendisque confessionibus deinceps intentus.

18 Hoc Authore Academia nostra condita fuit, primum ad culturam Philosophiæ, mox verò pro Theologiæ professoribus, quibus in hebdomada convenientes Scholasticis & Moralibus se se exercent dimicationibus, Panegyrica Sacra statis diebus habent, atque alijs pro amœnioribus litteris excolendis dant operam. Ad hæc, ut solemne est multis sua sponte in Universitatis Aula maxima per diem integrum totam propugnare Theologiam, additis pro concertatione vespertina, aut ex Canonico, aut ex Civili, aut ex utroque jure titulis sex gravibus scærentes difficultatibus, responsuri in publicâ luce Magistris ac Doctoribus, ex omnibus Ordinibus doctissime arguentibus proludent inter Academiæ Sodales acri & ad multos dies tractâ concertatione, qua se mire exercent, & expeditiones longe athletas efformant. Porro quam opimos ipsa fructus retulerit, argumento sunt plurimi qui ex ea prodire viri doctissimi, & multis titulis ornatissimi; nam, ut minoribus redimitos laureis taceamus, atque insignes concionatores, doctorales apices multi emerunt Mexici, aliqui autem in Universitatibus Salmanticensi & Tolotana egregiâ laude. Paræcijs alij præfecti tuere & in Mexicæ Diœcesi, & in Michoacanensi, & in alijs, & apud Europam etiam, in Tolotana. Sacra in spectatissimis Virginû Monasterijs administrant, Antecessores in Universitate Mexicanensi ege-

gerunt, idiomatis Mexicani, Eloquentiæ, Philosophiæ, Sacrorum Bibliorum, Theologiæque Perpetuos Vespertinos atque Primarios, quas itidem in varijs Collegijs spartas ornarunt, & Collegijs ipsis regendis admoti fuerant. Censuribus Fidei, Consultoribus & Judicibus Ordinarijs adscripti ex illis sunt aliqui, & inter Examinatores Synodales in multis Diœcesibus relati, quandoque Visitatores agentes & Vicarios Episcopales, Ad Præbendas evocati & Canonicatus, etiam, ut dicuntur, Officij, eis defunguntur Mexici, Vallisoleti Michoacanensem, & Guadalaxaræ in novâ Gallicia, alijsque muneribus conspicui & honoribus, cum in Religiosis Ordinibus, tum etiam in memorata Oratorij Congregatione, Libris quoque clarent in publicâ datis, de quibus sermo nobis in decursa Bibliothecâ erit. Academiæ autê nomine extant edita,

Elogia selecta è varijs quæ Mexicearum Scholarum more ab alumnis Academia Sancti Philippi Nerij elaborata sunt, præfixaque thesibus defensatis. Olim sparsim edita, collecta modo à Dre. D. EMMANUELE GARCIA DE ARELLANO, Mexicano, ejusdem Academia Præside, &c. ex Typographiæ editioni Bibliothecæ Mexicane destinata. 1754.

Meminit Academiæ creationis & fructuum P. JULIANUS GUTIERREZ DAVILA in Monum. Histor. Congreg. Oratorij Mexicanensis part. 3. lib. 5. cap. 4. n. marginali 649. & 650. unus ipse è pri-

mis in illam adscitis tempore, meritoque è primarijs ejusdem professoribus, qui virtute juxta & eruditione decus illi peperit immortalæ. Habes item Academiæ Elogium contextum à doctissimo P. NICOLAO ZAMUDIO, Soc. Jesu, in Censura data Panegyrico S. Philippi Nerij edito Mexici in Typographia Regia D. Mariæ de Ribera anno 1733. Simileque conscripsit elogium Sapientissimus P. NICOLAUS DE SEGURRA, ejusdem Societatis, in Approbatione præfixa concioni de S. Bernardo excusa Mexici, typis Viduæ Josephi Bernardi de Hogal anno 1741. Ab eadem Academiâ scripta prostat Nuncupatoria Parenti suo ac Patrono S. Philippo Nerio in Prælectione Theologica ad forte oblâtam distinctionem 20. lib. 2. Magistris Sententiarum, quæ excusa est Mexici in Regali summa administrationis Sacrorumque librorum typographia apud D. Mariam de Ribera 1747.

19 D. ALEXANDER FABIANUS, Natione Mexicanus, Patria Angelopolitanus, Nobilissimis parentibus usus est, genitore ex illustri apud Genuenses Familia; Matre claro inter Hispanos sanguine: Præbyter Sæcularis, pissimus juxta ac doctissimus, si fides habenda est Clarissimo Viro P. ATHANASIO KIRCHERO, Societatis Jesu, Scriptori, si ullus alius, Sapientissimo, & Reipublicæ Eruditorum notissimo, ad quem Alexander noster scripsit Romano, nisi fallimur conjecturâ, sermone. D. Episto-